



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant

Segneri, Paolo

Dilingæ, 1699

IV. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. Os. 9. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

III.

Auendi, & auscultavi. Nullus est, qui agat penitentiam super peccato suo dicens: quid feci? Jerem 8 6.

1. Considera, sive spectes opera hominum, sive sermones audias, rarissimos inveniri penitentes. Multi sunt, qui volunt agere penitentiam, pauci, qui agant. Nunquam enim adduci possunt, ut illam agant. Ad mortem usque expectant; & tum subito se delusos agnoscunt. Equid tibi prodesse potest voluntas etiam bona, quæ ad opus non redigitur? Eorum, qui voluerunt agere penitentiam, & non egerunt, plenus est Infernus.

2. Considera, esse nonnullos, qui etiam in vita agant penitentiam. At quando? cum explevis cupiditatibus, ut ita loquar, jam habent fatiçtatem peccandi. An isti agunt penitentiam super peccato suo? Haud lanè, sed agunt super peccatis. Vix inveneris,

qui statim, ac peccaverit, illud agnoscat, illud confiteatur, illud detestetur, deploret, dicatque: *Quid feci?* De quorum numero tu es?

3. Considera, quod nemo penitentiam agat, hinc nasci, quia nemo querit: *Quid feci?* quomodo fieri posset, ut non disflueres amarissimis lacrymis, si cognosceres id, quod fecisti peccando? Tunc offendere DEUM adeo bonum? cum, qui te condidit, qui te conservavit, qui redemit? tunc accersere tibi tantum mali, ut vilissimæ satisfacias cupiditati? ejus gratiâ te privare? gloriæ jacturam facere? æternæ dæmonis servitutem mancipare? O quanta tibi est causa ingeminandi: *quid feci?* miserum me, *quid feci?* *quid feci?* sed tu de hoc non cogitas.

IV.

Facti sunt abominabiles, sicut ea, qua dilexerunt. Ol. 9. 10.

1. Considera miram differentiam, quæ inter intellectum & voluntatem intercedit. Si contra voluntatem cogitatione aliquâ vexeris rei abominabilis sive blasphemiæ, sive fraudis, iræ, lasciviæ, non idcirco tu sis abominabilis. Tunc solum sis abominabilis, cum amas. Causa est, quia intellectus per suos actus non egreditur extra se, sed in se recipit rerum

imagines, quæ ad ipsum transmittuntur, ita ut non possit non recipere. Potentia est, ut vocant, necessaria. Voluntas exit per suos actus ad rem amatam, ita ut in illam transformetur. En igitur fœdam metamorphosin, quæ in te accidit, si quid ames diabolicum, brutum, terrenum. Tunc enim efficeris diabolicus, brutus, terrenus.

F 2

2. Con-

2. Considera in hac metamorphosi consistere fœdam illam deformitatem, quæ post peccatum manet animæ impressa. Et ideo O quanto terrore staret artonitus, si te ipsum in eo statu posses contueri. Tunc videres, quàm merito peccator in scripturis sacris Vipera, Equus, Canis, Sus appelleretur, quia dum sequitur appetitum, his brutis animalibus proprium, revera animo in unum horum transformatur. Et tu non fatagis per pœnitentiam quamprimum reparare formam amisam? O quantum te affligeret videre te ipsum quoad corpus transformatum in tuem, prout Armenia Regi Mirridati accidisse legitur. Et non doles, quod animalis tam fœdi speciem indueris, sed quoad animam?

3. Considera, quemadmodum, qui amat rem abominabilem, etiam

ipse redditur abominabilis pro ratione rei amate, ita fieri pulcrum, honorabilem, Divinum, qui ejusmodi aliquid amat efficaciter, quia in id etiam ipse transformatur. Transformatur in DEUM: *Talis est quisque, inquit Aug. Tr. 2. in Ep. 3. Jo. Qualis est ejus dilectio. Terram diligis, Terræ, DEUM diligis? quid dicam? DEUS eris.* Et tu cum adipisci possis formam tam nobilem, non curas? At bene adverte, ad id non sufficere qualem-cunque amorem simplicis complacencia, quo nonnunquam feruntur etiam ipsi mali ad virtutem, dum illam in alijs approbant, celebrant, laudant, sed eam nihilominus relinquunt, cui lubet. Oportet esse efficacem, vivum, vehementem, & illi similem, quem in te ipse experiris, cum ferio amas.

V.

Deponentes omne pondus, & circumstantes nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem JESUM, qui propositio sibi gaudium sustinuit Crucem confusione contemptâ. Hebr. 12. 1.

1. Considera, quale sit certamen, quod tibi proponitur: *Propositum tibi certamen.* Illud hand dubiè, quod tu suscipis adversus tres adeo famulos hostes, qui tibi adimere nituntur æterna bona, nimis amor habendi, amor voluptatum, amor honorum. Hoc est certamen, à quo in hac terrâ nemo est immunis; adeo, ut, si demones ipsi te infestent, aliud non agant, quàm quod suscitent contra

te unum ex his hostibus, qui te laceflant. Oportet igitur animari ad tam grande certamen, & ita non solum ad hoc ire, sed cursu contendere: *Curramus.* Quod tunc fiet, cum paupertas, dolor, contemptus, quæ sunt partes contrariæ in hoc conflictu, non tantum acceptantur, sed ultrò expectantur *per patientiam*, id est, per invictum propositum patiendi: *per patientiam.*